S. D. P.

Zu

der öffentlichen Prüfung

aller Klassen

des

Königlichen Gymnasiums zu Leobschütz,

den 21. und 22. August 1844,

desgleichen zu der

feierlichen Entlassung der Abiturienten,

verbunden

mit dem herkömmlichen Redeactus

und

der Promulgation der ascendirenden Schüler

am 23. August

ladet

im Namen des Lehrer-Collegiums

ehrerbietigst ein

der Director Dr. Heinrich Kruhl.

Inhalt:

1. Schulnachrichten, gegeben vom Director.
2. Wissenschaftliche Abhandlung: Cornel. Taciti sententiae de natura, indole ac regimine deorum. Partic. I. Scrips. Dr. Anto[illegible]hlert.

Breslau, 1844.

Gedruckt bei Gustav Fritz, Ring Nr. 15.

Jeder Schüler, der nach den Ferien auf das Gymnasium wieder aufgenommen zu werden wünscht, hat ohne Weiteres bei dem Rendanten sein Schulgeld zu entrichten und dann durch Vorzeigung seines vom Vater oder Vormund unterschriebenen Zeugnisses und der Schulgelder-Quittung bei dem Director seine Wiederaufnahme nachzusuchen. Zöglinge, die neu aufgenommen werden wollen, haben ein Abgangs-Zeugniss der Lehranstalt, die sie verlassen haben, nebst einem Taufzeugnisse und einem Impfattest vorzulegen. Da das Taufzeugniss nur den Zweck hat, das militairpflichtige Alter zu controlliren, so bedarf es dazu keines Stempels. — In den Zeugnissen, welche Elementarschülern zur Aufnahme für das Gymnasium von ihrem Lehrer und Schulrevisor ausgestellt werden, haben die Aussteller ausdrüchlich und unumwunden zu erklären, dass der Zögling für das Gymnasium reif sei. Andern Falls kann entweder die Aufnahme nicht Statt finden, oder der Zögling hat sich einer Prüfung zu unterziehen, wofür praenumerando 1 Rthlr. zu entrichten und der Ausfall zu gewärtigen ist. —

Um Irrungen, betreffend die Anforderungen, die das Gymnasium an den angehenden Sextaner zu machen hat, vorzubeugen, füge ich noch hinzu, was von ihnen verlangt wird:

a. Geläufigkeit im mechanisch- und logisch-richtigen Lesen deutscher und lateinischer Druckschrift.

b. Praktisch eingeübte Kenntniss der Redetheile und des einfachen Satzes.

c. Einige Fertigkeit, etwas Diktirtes leserlich und reinlich orthographisch nachzuschreiben.

d. Geläufigkeit im Gebrauch der vier Species mit unbenannten Zahlen und der Brüche.

e. Eine ganz allgemeine Uebersicht der Erdbeschreibung, besonders Europa's.

f. Bekanntschaft mit den Geschichten des alten Testaments und mit dem Leben Jesu.

g. Erste Elemente des Zeichnens.

Von den Forderungen a bis d kann nicht das Mindeste nachgelassen werden, von den übrigen nicht viel. Auf Grund dieser Anforderungen haben also die Aussteller von Zeugnissen zu erklären, dass sie den Zögling, welchen sie entlassen, für reif zu den Gymnasialstudien halten.

Q. D. B. V.

Corrigenda ad Corn. Taciti etc.

S. 15. Z. 5 v. u. lies: maximae statt maxime.
S. 22. Z. 1 v. u. lies: ac statt ao.
S. 23. Z. 2 v. u. lies: infante statt infant.

Corn. Taciti sententiae

de natura, indole ac regimine Deorum.

Particula prior.

Scripsit

Dr. A. J. Kahlert.

Jam explosa est sententia eorum, qui censeant, et cogitari et existere posse hominem, qui Deum esse certis argumentis adductus continuo neget, qui altiorem quandam potentiam, regimen quoddam divinum recuset, qui in vita, qua nunc fruatur, acquiescat, qui omnia ex naturae consueto ordine procedere et sequi dicat, omnia satis interpretari, omnium rerum etiam ultimas caussas indagare se posse contendat, cui nihil tenebris obvolutum, nihil aenigmatis instar obscurum, sed omnia aperta, clara, in aprico sint; qui res gestas ut mathematicus figuras disponat et quae inde secutura sint, acute computet et quem haec computatio nunquam fallat; qui omnia, quae sint et accidant, hujus vitae caussa adesse, neque quidquam ad altiorem quendam finem destinatum esse sibi persuaserit; qui post hanc vitam nihil secuturum, sed animum ita ut corpus deletum iri judicet; talis homo neque fuit neque omnino esse potest, si quidem ei mens sana in corpore sano, si ei ingenii scintilla tantum, neque prorsus hebes est animus. Recenseamus omnes, qui a primo aevo usque in hodiernum diem Deum negasse dicuntur, non modo falsa fuisse eorum commenta et sibi non constantia, sed etiam eos invitos et quasi coactos vestigia divini sensus, signa fidei in Deum, edidisse, etiam eos Deum agnovisse et licet nescios tamen nolentes volentes credidisse mox apparebit.[1]) Quae quum ita sint, etiam de Tacito, utpote neutiquam hebetis et

1) Hoffmeister: „Die Weltanschauung des Tacitus" p. 108. „Wir dürfen voraussetzen, dass im Mittelpunkte des Lebens eines jeden Menschen auf unvertilgbare Weise der Glaube einer göttlichen Ordnung der Dinge lebe, und dass diese innere Gottesüberzeugung gerade im tiefsten Geiste am klarsten, stärksten und reinsten erklinge. Ganz zum Schweigen gebracht kann diese Stimme nicht werden: sie macht sich auch vernehmlich in allen Stimmen des Tacitus."

pusilli animi homine, sed „qui sidera vertice ferire“ videtur, jure quodammodo exspectare possumus, eum Numinis praesentiam et regimen profiteri, eum, quamvis tempore, superstitionibus et vitiis obruto, religioni adverso, Deum non perinde curante, vixerit,[1]) hujus in Deum fidei vestigia scriptis suis inseruisse.

At non opus est, inde, quod existere non potest homo, qui Deum neget, concludere, ergo etiam Tacitum negare non potuisse; non opus est, eum ita quasi circumire et a tergo invadere, ne nobis, opinionem ejus indagantibus, e manibus elabatur: recta eum adire et consulere vacat atque juvat, neque ne spes nos fallat timemus.

In disceptationem cadit locus German. cap. 9. dignus, qui in fronte totius disquisitionis ponatur. Proprie quidem de Germanis loquitur scriptor praeclarissimus, sed res, quam tractat, ita est comparata, ut eam narrando etiam necessario suam fecerit, vel, quod malim, ut ipse eam sibi finxerit et ex intimo animi recessu prompserit; sed praestat, inducere loquentem ipsum Tacitum, qui postquam plures Deos, ut Mercurium, Herculem, Martem, Isidem apud Germanos coli et hunc cultum peregrinae originis videri retulit, ita praeclare pergit: „Ceterum nec cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris speciem adsimulare, ex magnitudine coelestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, Deorumque nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.“[2]) Apparet, Tacitum hoc loco consuetam sibi interpretandi rationem esse secutum; audiverat enim, Germanos neque oppida neque templa condere, cujus posterioris potissimum rei caussas anquirens ac simul sui populi vanam superstitionem

1) Idem ibid. p. 107. „Seine Zeit trug nichts in sich, was den Glauben an eine waltende Gottheit genährt hätte; sie war von der edlen Menschheit, — um so mehr auch von dem göttlichen Geiste verlassen.“ Et Tacitus ipse in vita Agricolae cap. 1. „Incusaturus (alii legunt incursaturus) tam saeva et infesta virtutibus tempora.“ Cfr. Agric. cap. 5. „temporibus, quibus sinistra erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quam ex mala“. C. 6. gnarus (Agricola) sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fuit.“ C. 17: Vir magnus, quantum licebat.“

2) Cfr. de hoc loco Justus Möser: Osnabrücksche Geschichte. I. Theil. 2. Aufl. Berlin, 1780. p. 54. seqq.

tangens ac perstringens, quod nonnisi in templis habitare Deos putaret, quod statuas imaginesve iis poneret atque in externis his rebus acquiesceret, praeclare docet: Majores sunt Dii, quam qui parietibus includi aut quorum imagines effici possint.

Mirifice huic sententiae convenit Hist. V. 5, ubi de Judaeis loquitur: „Judaei mente sola unumque Numen intelligunt. Profanos, qui Deum imagines mortalibus materiis in species hominum effingant; summum illud et aeternum neque mutabile neque interiturum.“ Si habuisset, quod huic sententiae de Deo uno ac summo opponeret, eum, utpote in vituperium procliviorem, non taciturum fuisse arbitror; et qui tacet, ubi loqui debebat, consentire videtur. Hic praeterea, quem modo transscripsi, locus fere solus est, qui aliquid laudabile de Judaeis profert; nam in aliis eos eodem odio, quo illi totum genus humanum, persequi videtur.[1])

Neque praetermittendus est alius in libello de Germania locus, ubi de Suevorum nobilissimis ac vetustissimis loquitur eorumque quum alia tum religiosa commemorat instituta; homines ab iis sacrificari, lucum quendam in primis sanctum haberi, etc. Germ. cap. 39. „Nemo nisi vinculo ligatus ingreditur, ut minor, et potestatem Numinis prae se ferens; si forte prolapsus est, adtolli et insurgere haud licitum; per humum evolvuntur: eoque omnis superstitio respicit, tanquam inde initia gentis, ibi regnator omnium Deus, cetera subjecta atque parentia.“[2]) In vocabulo „superstitio“ inest quidem vituperium quoddam, quod hic neque negaverim, neque vero contra me, ex hoc loco praeclaram de Deo opinionem elucere affirmantem, facere concesserim; neque enim ad Deum est referendum neque ita explicandum, ac si negare voluerit Tacitus, Deum esse

1) Cfr. Hist. V. 3, ubi „id genus hominum invisum Deis“ dicit. Eorum instituta sinistra foeda pravitate valuisse: cap. 5: „Apud eos fides obstinata, adversus omnes alios hostile odium: projectissima ad libidinem gens; Judaeorum mos absurdus sordidusque.. V. 8. „Teterrima gens.“ Et cap. 13: „Gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa.“

2) Cfr. Möser, Osnabrück. Gesch. P. I., p. 54.

omnium et hominum et rerum arbitrum, sed vitio vertit Semnonibus, quod ex hoc luco gentem ortam, atque in eo vel solo vel inprimis habitare putent Deum; intacta restat appositio, „qui Deus est omnium regnator," sive ex mente Taciti deductam, sive opinionem Semnonum relatam censes. Non in illo luco est Deus, omnium regnator, sed ubique — quae posteriora verba non adjicit quidem, sed cogitanda et supplenda relinquit.

Praestat locus in eodem de Germania libro cap. 34, ubi famam commemorat, Herculis columnas in Oceano, Frisiorum terras alluente, superesse, id quod Drusus quum frustra inquirere coepisset, tandem omisit: „Sanctiusque", inquit Tacitus, „ac reverentius visum, de actis Deorum credere quam scire."[1]) In his verbis credere et scire inest notio, quae et sagax et acutum et sublime Taciti ingenium prodit, ejusque sinceram et altam, quam de Deo sibi finxerat, ideam probat. Altiora, sensus est illorum verborum, sunt Deorum acta, nexus, quibus inter se cohaerent, caussae, unde derivata sunt, magis sunt compositae atque implicitae, quam quas homo omnes enumerare atque perspicere possit; comprehendi non possunt Deorum facta. Vel si negas, Tacitum his paucis verbis tam multa tamque gravia enuntiare voluisse, (quamquam id consuetudini ejus, qua paucissimis verbis quam plurima exprimit, mirifice convenit), id certe in iis inest: Sanctius ac reverentius est, h. e. pietati, quam in Deos habere et obedientiae, quam iis praestare debemus, convenit,[2]) si id, quod egisse dicuntur Dii, etiam ab iis actum esse sumamus et omnem de ratione factorum, vel quomodo fieri potuerint, quaestionem tollamus. Itaque officio, quod tibi est erga Deos, optime satisfacis, reverentiam profiteris non scientia, quae ad humanas

---

1) Apposite Seneca ep. 95. p. 370. (opp. ed Gronov. Lugd. 1649. 12. Tom. II.): „Primus est Deorum cultus, Deos credere, deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Scire, illos esse, qui praesident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt, interdum curiosi singulorum." —

2) Cic. de natura Deorum lib. I. c. 41. (Opp. ed. Orellius vol. IV. P. II.) „Est pietas justitia adversus Deos; sanctitas autem scientia est colendorum Deorum."

tantum res pertinet, qua humana quidem, neque vero divina intelligis consilia, sed sola fide. Haud scio, an quisquam alius praeter Tacitum, altiorem purioremque de Diis habuerit sententiam. Id certo constat, haec verba non tam Germanorum neque Drusi, sed suam ipsius de Deorum magnitudine, de secretis, quibus homines ducunt, viis opinionem exprimere. Vix enim hanc rem a Germanis Tacitus exquisivit, (omitto quaestionem, utrum Tacitus ipse Germaniam adierit,[1]) neque adeo exculti cogitari possunt Germani, qui hanc caussam afferre potuerint, neque eorum lingua verba, tam sublimibus cogitationibus respondentia suppeditabat. Quin etiam ad Christianam de Deo doctrinam haec verba quam proxime accedere vel primo obtutu perspicias.[2])

Neque dedecet Tacitum sententia, quam Annal. III. 36 Cestio senatori adtribuit: „Sed neque a Diis nisi justas supplicum preces audiri, neque quemquam etc.“ Apparet ex hoc loco pura et justa Deorum natura, licet non negaverim, eum esse minoris momenti, sicut Ann. XIII., 35, ubi Bojocalum dicentem facit, „Sicut coelum Diis, ita terram generi mortalium datas“, communis tantum omnium gentium opinio, Deos esse coelicolas, exprimitur. Etiam verba, quibus Vologeses, Parthorum rex, orationem finit, hic commemoranda sunt: Annal. XV, 2. „Addita modestiae fama, quae neque summis mortalium spernenda est, et a Diis aestimatur.“ Magni igitur faciunt Dii modestiam, (hoc enim sensu hic dictum esse verbum aestimare docet contextus, quem vocant.[3])

Ex omnibus locis, qui quidem adhuc allati sunt, praeclaram Taciti de Diis sententiam elucere abitror; esse unum tantum Numen, idque aeternum, corporis

---

1) Id quod Passowius statuit, qui eum etiam ad Britannos proficiscentem facit in libro, qui inscriptus est: Philomathie, Bd. I. Cfr. Ruperti prooemium in Tacitum p. 10.

2) Hoffmeister, p. 99: „Tacitus legt durch diese Unterscheidung und durch diese Begränzung des Wissens eine Gesinnung an den Tag, welche mit der des Apostel Paulus übereinstimmt, und scheint darin mehr christlichen Geistes zu sein, als die. welche in unsern Tagen das Glauben in ein Wissen verwandeln wollen.“

3) Cfr. Forcellini lexicon ad h. v. p. 101, qui exemplis demonstrat, aestimare absolute positum idem esse quod dignum aestimare seu dignari aliqua re.

non capax, mente sola intelligendum, quod aedibus includi non possit, quod omnia regat, justis precibus annuat, modestiam tueatur, coelum incolat. Nunc singulares quasdam Deorum virtutes recensebo, inter quas duae inter se contrariae eminent, favor et ira. Cur vero has duas notiones prae caeteris insignio? Quum vita inter laetitiam et tristitiam sit divisa omnesque humani generis conatus et sollicitudines illuc conveniant, ut alteram sibi paret, alteram avertat, gaudium igitur et dolor duo quasi sint poli, circa quos et vita et cogitatio fere omnis sese movet, (apud omnes enim etiam cogitationes relatio quaedam et vinculum, licet oculis cerni non queat, indagari tamen et inveniri potest, quod eam et unum alterumve horum polorum conjungit): etiam judicia nostra, quae de quavis re proferimus, duplicem prae se ferant characterem necesse est, rem aliquam aut improbent aut probent, eam aut acceptam bonamque, aut inimicam judicemus; eam utilem aut noxiam, amicam aut adversariam depingamus. Recte igitur omnia Taciti de Diis judicia, de eorum virtutibus et efficientia bifariam dividi posse videntur, ut prius ii afferantur loci, in quibus Deos hominum fautores esse affirmat, de eorum benignitate et muneribus, quibus cultores suos afficiunt, loquitur, et tum illi, ubi de eorum ultione et ira quum in totum humanum genus, tum in singulos populos hominesve sermo est. Ex qua divisione si efficiatur, locorum, posteriorem sententiam adjuvantium multo plures esse, eosque non tam numero, quam vi et gravitate et argumentis et ambitu prioribus excellere, multo saepius iratos quam benevolos Deos commemorari, de poenis saepius quam de praemiis, de ultione potius quam de remuneratione sermonem esse: caussam hujus rei in intimis Taciti animi recessibus, in odio, quo tempus suum contemptu optimi cujusque dignissimum persequebatur, fortasse inveniemus. Attamen non omnes illo tempore viventes aeque oderat; singulos eosque optimos quosque singulari quodam amore amplexus est, velut Paetum Thraseam,[1]) Germanicum[2]), Helvidium, Agricolam socerum suum, alios;[3]) vitium vero et vitiosos odit.

---

1) An. XVI, 21. quem virum virtutem ipsam appellat.

2) Vix quidquam dulcius aut altius cogitari potest, quam Germanici imago; qui

De favore et benignitate Deorum.

Primus locus, qui hac ratione in censum referendus est, legitur Germ. 5., ubi Tacitus hujus terrae descriptionem exhibet; eam esse silvis et paludibus horridam, et quamquam frugiferis arboribus destitutam, neutiquam tamen prorsus sterilem, praesertim vero pecoribus opulentam: „Argentum et aurum," pergit, „propitii an irati Dii negaverint, dubito." Utrum auro et argento, quo destituti esse videntur Germaniae montes, a propitiis an iratis Diis, i. e. Deorum favore an ira spoliati sint, affirmare non vult. Respicit duplicem pecuniae usum, bonum et malum. Si ad victum comparandum eam adhibeas, neque vero tantum possideas, quantum sufficit, Deus, hoc dono qui te spoliavit, iratus esse, te punire et castigare voluisse videtur; sin autem avaritiae, fraudum, et quae sunt ejusmodi vitiorum, ex nimia aut male adhibita pecunia ortorum rationem habeas,[1]) eum Deum, qui pecuniae usum tibi denegavit, qui a tot malis te immunem servavit, benignum ac benevolum agnoscas necesse est. Dii ergo propitii te ab hoc malorum fonte immunem servarunt.

Neque ab hoc sensu abhorret locus in eodem de Germ. libro c. 33, ubi Bructerorum cladem narrat, quos olim juxta Tencteros habitasse, tum vero Chamavos et Angrivarios immigrasse refert. Varias annectit caussas, cur

---

utinam Tiberii loco imperasset! An. II., 73: „Quod si solus arbiter rerum, si jure et nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiae, quantum clementia, temperantia, ceteris bonis artibus praestitisset."

3) In tres ordines redigit Hoffmeisterus p. 188—191 homines, a Tacito descriptos, quorum primus eos amplectitur, qui ut virtus ipsa i. e. ut Thrasea, imperatoribus quasi e regione sunt oppositi, in quibus jure etiam Tacitum numerat; secundus complectitur eos, qui quidem boni neque vero aeque pervicaces, sed mobiliores, ad res et homines, quibus circumdati sunt, se accommodant, qui modestiam et moderationem exercent, ut Agricola, Seneca, Galba, Titus; tertius tyrannos eorumque servos et adulatores continet.

1) Tacitus Hist. I., 20 pecuniam „instrumenta vitiorum" appellat. Consentit ergo quum alibi tum hac in doctrina cum Seneca, qui ut omnes Stoici philosophi pecuniam in *ἀδιαφόροις* ducebat. Cfr. Senecae ep. 94 (p. 343) „pecuniam nec bonum nec malum esse."

vicinae nationes in pellendis et penitus exstirpandis Bructeris consenserint: „Seu superbiae odio, inquit, seu praedae dulcedine, seu favore quodam erga nos Deorum.“ Hostes nostri tantum abest ut consentiant et conjuncti contra nos arma corripiant, ut singulatim certent, quin etiam semet invicem conterant, — idque documento est, Deos Romanis favere. Ultimo loco favorem Deorum conjectando adjicit, sive quod in enumerandis caussis gravissimam ultimo loco ponere consuevit, sive quod eos, qui caussas prolatas nondum sufficere ad exponendum vicinorum populorum consensum dicturi essent, antevenire voluit, annectendo, favore Deorum id factum videri.[1])

Sed non omnibus Romanis neque omnibus temporibus favent Romanis Dii; pendet eorum favor ex certis quibusdam conditionibus, quas qui praestitit, etiam favore eorum fruitur amicitiamque eorum sibi conciliat. Vix ullus locus Romanum scriptorem tam decet atque ornat, patriae amorem sincerum tam aperte prodit, tam clare conjunctionem morum et fortunae significat, tamque luculenter docet, ex uno quoque maxime pendere, utrum beate vivere velit nec ne, quam Hist. III., 72. Sermo ibi est de incendio Capitolii, quod anno Urbis conditae 823 bello civili conflagravit, quum Vitelliani cum iis, qui a Vespasiani partibus stabant, acriter pugnarunt, qua calamitate Tacito quidem neque quidquam tristius

---

1) A me impetrare non possum, quin etiam verba subsequentia transscribam, quia et Germanorum imaginem, quae usque ad nostros dies fere eadem fuit, et Romanorum omniumque Germanici nominis hostium animos luculenter produnt: „Nam, inquit Tacitus in eodem capite, „ne spectaculo quidem proelii invidere; super LX millia non armis telisque Romanis, sed, quod magnificentius est, oblectationi oculisque ceciderunt.“ (Quicunque historiarum non prorsus ignarus, primo obtutu sentit, qui populus quum semper tum ex pace Westphalica idem exclamaverit.) „Maneat, quaeso, pergit Tacitus, duretque gentibus, si non amor nostri, at certe odium sui: quando urgentibus imperii fatis, nihil jam praestare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.“ O praeclara Romanis, turpia Germanis verba! Divinat scriptor, quasi vates, imperium Romanum fato ad exitum, fortasse jam tum prope instantem, destinatum esse, urgeri ac cogi, neque aliud auxilium novit, quam hostium discordiam. Cfr. Agricol. c. 12: „Nec aliud adversus validissimas gentes pro nobis utilius, quam quod in commune non consulunt.“

neque foedius videbatur. Sed audiamus Tacitum ipsum: „Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque Reip. Populi Romani accidit: nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, Deis, sedem Jovis O. M. auspicato a majoribus, pignus Imperii[1]), conditam, quam non Porsenna dedita urbe, neque Galli capta, temerare potuissent, furore Principum exscindi.“ Si vitiis abstineremus et virtutem coleremus, etiam Dii nobis essent propitii, coepta nostra foverent et ad bonum exoptatumque exitum perducerent; a sceleratis vero sese avertant necesse est; flagitia nostra propulsant quasi ac fugant Deos. Ex bonis moribus pendet Deorum favor. Neque quidquam est, quod huic sententiae opponamus, quum Christiana religio prorsus idem doceat.[2])

---

1) De Capitolio, quod aeternitatis rei Romanae certissimum pignus habebatur, cfr. Horat. od. I., 37, 6. III. 3, 42 et III. 30, 8.

2) Opponi quidem mihi possit, Tacitum odisse Christianorum religionem; eam non minus quam Judaicam „superstitionem exitiabilem“ appellat Annal. XV. 44 et Annal. XIII, 32 „superstitionem externam.“ Non aliter Plinius in epistola 47 (al. 48) ad Trajanum: „superstitionem pravam et immodicam“ et Suetonius (in vita Neronis c. 16) „superstitionem vanam et maleficam“ dicunt. Cfr. Suet. vita Claudii c. 25. Sed non cognita habuit Tacitus hujus religionis praeclara praecepta, quae perspecta et penitus cognita ejus acumen mentis improbare non potuisse arbitror. Accedit, quod Tacitus omnem religionis cultum, a Romanis sacris adhorrentem, eodem nomine appellat. Sic Aegyptios (Hist. I, 11) „superstitione et lascivia discordes“; Alexandrinos (Hist. IV, 81) „Deditam superstitionibus gentem;“ Britannos (Ann. XIV, 30) „saevis superstitionibus saeros habere ludos“ dicit. Cfr. Germ. c. 39 et Hist. IV, 54: „superstitione vana canebant Druidae.“ Quamquam inficias ire non possum, Tacitum dignum esse, qui inprimis ob ultima verba Annal. XV, 44 vituperetur. Sermo ibi est de incendio Romae, quod Nero furens jusserat, cujus tamen auctores Christianos esse simulabat: „Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit. Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio adfectus erat. Repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, originemque ejus mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque.“ (In his verbis inest acerbissimum et gravissimum quum Romae tum Christianorum odium). „Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde, indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde crimine incendii, quam odio humani generis, convicti sunt.“ (Crimen ergo capitale erat fictitium, et, ob quod puniebantur, id Tacitus ipse refutat ac diluit.) „Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu

Huc pertinet locus Annal. I, 28: „Sua facinora aversari Deos lamentantur“ scil. milites Romani. Inest in eo sententia, bonis hominibus Deos favere, malis irasci. Neque silentio praetereunda sunt verba, quae Hist. IV, 81 leguntur: „Per eos menses, quibus Vespasianus Alexandriae statos aestivis flatibus dies et certa maris opperiebatur, multa miracula evenere, quis coeli favor et quaedam in Vespasianum inclinatio Numinum ostenderetur.“ Sicut igitur totis populis, ex. gr. Romanis favent Dii, ita etiam singulis hominibus; caussam hujus in Vespa-

---

canum interirent, aut crucibus adfixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis uterentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Unde adversus sontes“ (sed non incendii auctores, quo crimine Tacitus ipse eos absolverat) „et novissima exempla“ (i. e. poenas gravissimas) „meritos“ (ob odium generis humani!) miseratio oriebatur, tanquam non utilitate publica, sed in saevitiam unius absumerentur.“ Non vituperavisset igitur Tacitus haec Christanorum supplicia, quin comprobasset et laudasset, dummodo in utilitatem publicam essent interfecti, dum in imperium Romanum ex eorum caede aliquid lucri redundasset. Ecce doctrina prorsus detestanda! Non ideo, quod nos eidem superstitioni sumus addicti, sed quod inde sequitur, ut omnia liceant, dummodo utilitas publica conservetur, adjuvetur, augeatur. Cfr. Agricol. c. 42 ubi etiam sartum tectum est, summum finem ei esse Reipublicae utilitatem: „Sciant, quibus moris, inlicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse: obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere, quo plerique per abrupta, sed in nullum Reipublicae usum, ambitiosa morte inclaruerunt.“ In hac sententia inest quasi clavis ad Veterum doctrinam de republica, de qua nos, meliora edocti, aliter judicamus. Haud dubie idem locus Tertulliano, severo illi omnium Christianae fidei inimicorum castigatori, ob oculos versatus est scribenti: „Tacitus mendaciorum eloquentissimus,“ cui judicio neminem subscripturum esse confido. Juvat, postremo Hoffmeisteri verba afferre p. 131. „Diejenigen unter uns, welche nur das Hergebrachte gut heissen und alles Neue schlecht und gefährlich finden, würden mit ihrer eigenen Ansicht im Widerspruche stehen, wenn sie Tacitus verdammen wollten, denn das Christenthum war dem Römer damals auch etwas Neues; et paullo inferius: „Und doch stand dem Geiste des Christenthums, dessen Form er verwarf, vielleicht kein Schriftsteller näher, als Tacitus. Auch ihm gefiel, genügte seine Zeit nicht; er stand über seinem Volke; und eine gewaltige, aber trostlose Sehnsucht nach dem Bessern lebt in seinem Busen. Nur für des Christenthums positive, nicht tiefer erfasste Lehre war er unempfänglich: im Leben, nicht über dem Leben suchte er den Trost.“

sianum inclinationis non addit; fortasse ideo Deorum gratiam sibi conciliaverat, quod vitiis abstinens vitam frugi et justam egerat; quod si ponamus, cum locis supra memoratis mirifice convenit haec sententia. Fortasse hanc ob rem subjunctivo modo „ostenderetur“ usus est, ut consilium eorum hic narratum esse manifestaret, quare vertendum censeo non cum Strombeckio: wodurch eine gewisse Zuneigung der Götter angezeigt wurde, sed potius „angezeigt werden sollte.“

Initium orationis Muciani etiam favoris divini mentionem facit, Histor. IV, 85: „Quoniam benignitate Deum fractae vires hostium forent, parum decore Domitianum, confecto prope bello, alienae gloriae interventurum.“ Non solum hic, sed omnino animadvertendum est, in orationibus, quas veteres scriptores ducibus exercituum, consulibus, imperatoribus subjiciunt, eos exprimere suam ipsorum opinionem, sicut poeta tragicus in choro sensus suos libere profitetur.

Sed ad Annales est accedendum et videndum, num etiam ex iis loci favorem et benignitatem Deum testificantes erui queant. Annal. II., c. 40: „Vulgabatur interim per Italiam, servatum munere Deum Agrippam“ (Posthumum cognominatum.) Et An. XI, 15 „Retulit (Claudius imperator ad Senatum)..... et laeta quidem in praesens omnia; sed benignitati Deum gratiam referendam, ne ritus sacrorum, inter ambigua culti, per prospera oblitterarentur.“ Est sermo de retinendis atque restituendis Haruspicibus, qui jam in eo erant, ut abolerentur.

Quum Romae fames instaret, quae in prodigium accipiebatur, et periculum, ne tot millia hominum, qui tum Romae vivebant, perirent, in dies cresceret — nam quindecim tantum dierum alimenta superfuerant —: huic calamitati (Annal. XII, c. 43) „Magna Deum benignitate et modestia hiemis“ subventum est. Periculum est amotum bonis cum Diis, vel potius quod Dii tam lenem, a procellis liberam et mitem effecerant hiemen, ut praeter consuetudinem etiam hoc tempore naves Alexandria et ex aliis portubus acciri possent, quae frumentum apportarent.[1])

---

1) Dissentio igitur in interpretandis his verbis ab Hoffmeistero, qui p. 112 ad h. l. haec habet: „in welcher Stelle jene Güte der Götter durch das beigefügte: „und die Mässigung des Winters“ seine ernste religiöse Beziehung ganz einbüsst.“ Neutiquam

Et Annal. XIV, 6, in describendo crimine, quo majus ac deterius cogitari potest nullum et ad quod infra rediturus sum, (de caede matris Neronis sermo est), Agrippina, praeter spem et exspectationem filii salva et immunis ex artificioso naufragio servata, Neroni referendum curabat: Benignitate Deum et fortuna ejus evasisse gravem casum." Sed ipse sentio, locos ejusmodi non magni momenti esse, quare in iis recensendis non diutius immorabor, binis tantum adjectis, quorum prior est Annal XIII, 57: „Inde indulgentia Numinum illo in amne[1]) illisque silvis salem provenire"; et posterior An. XV, 34: „Illic (Neapoli) plerique, ut arbitrantur, triste, ut ipse (Nero), providum potius et secundis Numinibus evenit; nam egresso, qui adfuerat, populo, vacuum et sine ullius noxa theatrum collapsum est."

Hucusque Deos faustos, benignos, indulgentes, coeptis humanis annuentes, bonum successum et exoptatum finem impertientes vidimus; multo saepius vero legimus in Tacito de Diis infensis, iratis, de qua re nunc sum disputaturus.

De ira Deorum.

Duae potissimum mihi esse videntur caussae, quod Tacitus Deos saepius iratos quam benevolos commemoret, altera extra eum, altera in eo ipso posita. Extra ejus animum eam dico, quae in hominibus inerat, quibus circumdatus erat, in rebus, quae aut suo tempore aut eo, quod describit, gerebantur[2]), in vitiis, quae

---

abrogatur divina benignitas, sed explicatur, addito, qua re sese exhibuerit Deorum benignitas, hac scil., quod hiemem modestam ac lenem miserint. Verba, in eodem capite sequentia, etiam ob vituperium, quod in perversos Romanorum mores effundit, digna sunt, quae notentur: „At hercule olim ex Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabantur; nec nunc infecunditate laboratur: sed Africam potius et Aegyptum exercemus, navibusque et casibus vita Populi Romani permissa est. Et Joh. Muellerus: „Die Herrn der Welt hatten kein Brot." Vier und zwanzig Bücher allgemeiner Geschichten, besonders der Europäischen Menschheit. Durch Joh. v. Müller. I. Bd. Tübing. 1811. 8. p. 230.

1) Eum fluvium, quem hodie Saale nostrates dicunt, interpretes et qui Tacitum in nostram linguam verterunt, ut Strombeckius, intelligunt.

2) Cfr. Histor. I, 2: Opus adgredior, opimum casibus, atrox proeliis, discors sedi-

teterrima et quotidie obvia cernebat, in pessimis exemplis, quae principes et senatores dabant, in corruptissimis moribus, quibus fere omnes, admodum paucis exceptis[1]), deditos esse lugebat.

De multis dici poterant, quae de Poppaea Sabina Annal. XIII. 45: „Ei cuncta alia fuisse praeter honestum animum.“ Ubique simulatio; alia dicebant, alia volebant atque cupiebant. Sic etiam Burrhus, homo frugi, Neronis facinora licet moereret tamen laudabat (Annal. XIV, 15 „Moerens Burrhus ac laudans“). Simile discrimen inter voluntatem et se gerendi rationem Annal. I, 3 invenimus, ubi de Augusto est sermo, qui nepotes suos „Principes Juventutis, destinari Consules, specie recusantis flagrantissime cupiverat.“ Ubique projectissimum servitium et adulatio. Annal. I, 7: „At Romae ruere in servitium Consules, Patres, Eques: quanto quis inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque composito,[2]) ne laeti excessu Principis, neu tristiores primordio, lacrimas, gaudium, quaestus, adulationes miscebant.“ Imperator non tantum Britanicum fratrem (Annal. XIII, 17) sed etiam matrem interficiendam curabat (An. XIV, 1—10). Filius patrem interficit, (Hist. III, 25), frater fratrem (Hist. III, 51). Gregarius eques, occisum a se proxima acie fratrem professus, praemium a

---

tionibus, ipsa etiam pace saevum. Trina bella civilia .... urbs incendiis vastata .... pollutae caerimoniae: magna adulteria: plenum exsiliis mare .... ob virtutes certissimum exsilium.“

1) Exceptos esse Germanicum, Thraseam, alios jam memoravi, quorum virtus eo clarior splendet. Bene hac de re disseruit elegantissimus Muretus in oratione XVII, p. 346: „Vixit sub Claudio Seneca, et Senecae quamquam fortasse par nemo, similes tamen multi. Neronis aetas multos habuit, quorum virtutem vix ipsius vitia aequarent. Omninoque ita est, ut dicam. Ut palmam ajunt adversus onera, sic virtus adversus vitium contumax surgit: et ut in Aetnae montis cacumine, ubi maxime urit flamma, herbam quoque finitimam maxime virere perhibent, quasi ipsa contendente natura, et nolente foecunditatem soli vicinorum ignium ardore superari: sic plerumque ubi maxima vitia dominantur, maxime virtutes erumpunt, quae cum illis certamen suscipiant, et vi superiores esse non possint, non tamen hostibus suis triumphum sine dimicatione concedant.“ Et ipse Tacitus Hist. I, 1: „Non tamen adeo,“ inquit, „virtutum sterile saeculum, ut non et bona exempla prodiderit.“

2) Cfr. Strombeckii annotationem ad h. l. praeclarissimam.

ducibus petit.") Filius patrem ab exilio retractum, accusat (An. IV, 28, de quo loco postea sum disserturus). Sed quid in singulis immoror? Abhorret animus ab illo tempore, a vitiorum colluvie, quae omnia referre et longum est et ab hoc loco alienum. Haec addidisse haud pigebit, quae Annal. IV, 33 leguntur: Nos saeva jussa, continuas accusationes, fallaces amicitias, perniciem innocentium et easdem exitu caussas conjungimus." Et Annal. XIV, 64 (quicunque casus temporum illorum noscent, praesumptum habeant) „Quotiens fugas et caedes jussit Princeps, totiens grates Deis actas, quaeque rerum secundarum olim, tum publicae cladis insignia fuisse."

Ad verbum igitur de Taciti tempore id dici potest, quod Ovidius de ferrea aetate canit Metamorphos. lib. 128:

„Protinus irrumpit venae pejoris in aevum
Omne nefas: fugere pudor, verumque fidesque:
In quorum subiere locum fraudesque dolique,
Insidiaeque, et vis, et amor sceleratus habendi.

Et v. 144 Vivitur ex rapto: non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero: fratrum quoque gratia rara est,
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti:
Lurida terribiles miscent aconita novercae:
Filius ante diem patrios inquirit in annos.
Victa jacet pietas, et virgo caede madentes
Ultima coelestum terras Astraea reliquit."

Externas autem res magnam vim in hominum animos exercere, non est, qui diffiteatur.[1]) Si quisquam alius, Tacitus Terentianum illud in ore tulit: „Homo sum, nil humani abs me alienum esse puto." In hoc vero animo puro, candido, virtutis amantissimo altera inest caussa, quod Deos infensos, irae indulgentes, poenam molientes sibi finxerit. Tacitus ex numero erat eorum, qui (An. XIV,

1) Cfr. Hoffmeister p. 29: „Die Gestaltung der Lebensansicht auch des selbstständigsten Geistes ist von den Einflüssen der Zeit und des Volkes bei Weitem noch mehr abhängig, als die Entwicklung des Samenkornes von den Anregungen der Luft und des Sonnenlichts."

63) praesentem saevitiam melioris olim fortunae recordatione adlevabant.“ Antiquam simplicitatem ac virtutem maximi faciebat (Histor. II, 5); recti pervicax (ut Helvidius, Hist. IV, 5), „constans adversus metus“ historias scripserat, ut essent (Hist. III, 51) „Exempla recti aut solatia mali.“ Ea tempora desiderabat, ubi „nemo vitia ridebat“ (Grm. c. 19); et ubi plus boni mores, quam bonae leges valebant.“ Sed praestat, singulos locos, in Taciti scriptis passim obvios, recensere, in quibus deorum iram commemorat. Huc pertinet jam German. caput ultimum (46), ubi de Fennis[1]), populo sordidissimo ac pauperrimo, magis Sarmatarum quam Germanorum originem prodente, loquitur; herbis vescuntur, pellibus teguntur, humi cubant; praeter sagittas ossibus, ferri loco, acutas neque habent arma, neque domos, sed ramorum quendam nexum, quo infantes senesque teguntur. Hunc tristem statum praeferunt splendissimo, in quo agros colere, domos exstruere, „suas alienasque fortunas spe metuque versare“ cogerentur: „Securi,“ pergit Tacitus, „adversus homines, securi adversus Deos, rem difficillimam adsecuti sunt, ut illis ne voto quidem opus esset.“ Praedicat his verbis felices Fennos, quod Deorum potestati sint exempti. Si quis est securus adversus aliquem, hunc, e cujus vi eripi gaudemus et avemus, infensum, noxium, terribilem cogitamus. Totam hanc sententiam ex animo profectam esse apparet exacerbato, qui solitudinem societati praeferat, qui homines oderit (nam praedicat Fennos, quod sint securi adversus homines, utpote inimicos atque perditis moribus deditos), qui ne Diis quidem uti velit, nam praestat, ab iis tutum esse.

Histor. V, 3. De Judaeis sermo est, quos Bochoris, Aegyptiorum rex, oraculi jussu, ex Aegypto, quo immigraverant, expulit, „ut invisos Deis.“ Facilius hic caussa cogitari vel potius ex aliis locis, ubi de Judais loquitur,[2]) erui potest, cur Dii iis irascantur, quod sacris, quibus caeteri populi utebantur,

1) Hodieque „Finnen.“

2) Loci, ubi Judaeorum mentio fit, sunt Annal. XII, 23, II. 85, ubi ob profanos ritus in insulam Sardiniam avehi jubentur. Hist. V, 4, 12. 2. 8. II, 4. V, 13. 5. 9. 7. Hist. I, 10.

contemtis sordidae superstitioni et libidinibus sint dediti; ergo jure quodam sic concludere mihi videtur Tacitus, omnes etiam gravissimas poenas dant ob odium generis humani.

Praeter Judaeos — (nam in recensendis populis, quibus Dii irasci dicuntur, pergam) etiam Batavi Deorum iram experti commemorantur Histor. V, 25: „Tunc infensos Batavis Deos (fuisse) quum obsiderentur legiones, interficerentur legati, bellum uni necessarium“.... Calamitas, quam prius Batavi, Romanorum jugum decussuri, sed spe sua falsi et ad obedientiam redacti, perpessi sunt, Deorum irae adscribitur, non Romanorum potentiae.

Annal. XIII, 41. Corbulo, Romanorum dux, Artaxata in potestatem accepit, quod oppidum igne delevit: „Adjicitur miraculum velut Numine oblatum; nam cuncta extra, tectis tenus, sole inlustria fuere; quod moenibus cingebatur, ita repente atra nube coopertum fulguribusque discretum est, ut quasi infensantibus Deis,[1]) exitio tradi crederetur.“ Videmus hoc in loco Deos a partibus Romanorum stare et inimicos esse Parthis; imminuitur vero vel potius dubitatur de hac inimicitia voce „quasi“ adjecta.

Praecipue autem Dii Romanis sunt infensi et irati; jacet quasi atque incubat ira Deorum Romano imperio, cujus irae nonnunquam quidem caussas refert, saepius vero reticet: facili negotio autem suppleri potest cogitatio, mores pessimos, vitia turpissima, scelera quum a privatis tum a principibus patrata iratos reddidisse Deos.

Hist. II, 38. Sermo est de bello civili inter Othonem et Vitellium, quod nonnulli sine pugna componere frustra conabantur. „Mox e plebe infima C. Marius et nobilium saevissimus L. Sulla victam armis libertatem in dominationem verterunt. Post quos Cn. Pompejus occultior, non melior.[2]) Et nunquam postea, nisi

---

1) Verbum infensare hic notione transitiva apud solum Tacitum legi notant interpretes, ut Ruperti ad h. 2 p. 506; est pro infestare.

2) Praeclare aperit Pompeii M. animum, quem occultiorem quidem, quam Marium et Sullam, neque vero meliorem fuisse dicit. Ceteri fere omnes scriptores, praecipue

de principatu quaesitum. Non discessere ab armis in Pharsalia ac Philippis civium legiones: nedum Othonis ac Vitellii exercitus sponte posituri bellum fuerint. Eadem illos Deorum ira, eadem hominum rabies, eaedem scelerum caussae in discordiam egere.“ Jam inde a Marii igitur et Sullae temporibus irascuntur Dii Romanis inter se discordibus et rem publicam bello lacerantibus.[1]) Eadem Deorum ira in rem Romanam legitur Annal. IV, 1: Sermo ibi est de Sejano pessimo, qui unus Tiberii amicitiam sibi comparavit, qua abusus est ad perdendum optimum quemque; postquam originem et juventutem ejus descripsit, ita pergit: „Mox Tiberium variis artibus devinxit adeo, ut obscurum adversus alios, sibi uni incautum intectumque efficeret: non tam sollertia (quippe iisdem artibus victus est), quam Deum ira in rem Romanam, cujus pari exitio viguit ceciditque.“ Non sufficere Tacito videtur caussa, quae in promptu erat et ab aliis ad declarandam hanc calamitatem adhibita, Sejanum fuisse sollertissimum; nam eadem sollertia ab aliis est superatus et postea potentia ac vita privatus; necessarium ei videbatur, aliam in caussam inquirere et invenit eam, quam jam saepius maximas calamitates aut effecisse aut commisisse commemoraverat: Deorum iram. Nisi Dii Romanis irascerentur, non commisissent, ut Sejanus tantum in Tiberium valeret atque auctor esset, ut imperator, qui ad id usque tempus fere justum imperium exercuerat,[2]) aut ipse saevire inciperet aut saevientibus vires praeberet. Et vigor et casus Sejani eadem Romanos calamitate affecit; nam eo

---

Cicero, Pompejum contra Caesarem rempublicam defendentem ad sidera usque laudibus efferunt, obliti, eum non minus quam Caesarem pro sua tantum parte, pro sua ipsius salute arma cepisse, non conservandae reipublicae caussa, cujus commodum fortuito cum sua parte congruebat. Pompejus aeque ac Caesar et Marius et Sulla principatum affectabat.

1) De bellis civilibus fr. Horal. od. I. 1, v. 1 seqq. et Mitscherlich od. h. l.

2) Tacit. An. IV, 1, Asinio, Antistio Coss. nonus Tiberio annus erat compositae reip. florentis domus (nam Germanici mortem inter prospera ducebat), cum repente turbare fortuna coepit: saevire ipse aut saevientibus vires praebere. Cfr. c. 6. „quando Tiberio mutati in deterius principatus initium ille annus attulit.“

interfecto saevitia imperatoris eo effusius erupit, quod se etiam ab eo deceptum esse animadvertit, cui se totum penitusque dederat.

Huc pertinet etiam locus Annal. XVI, 16, postquam magnum numerum eorum, qui Neronis jussu trucidati, strangulati, veneno interfecti, in exilium pulsi fuerant, tristi animo et aperto in tyrannum ejusque adulatores et scelerum suasores odio recensuit, profitetur, se ipsum, taedio tot flagitiorum captum huic narrationi supersedere velle; abhorrere animum a patientia servili: „Neque aliam," inquit, „defensionem ab iis, quibus ista noscentur, exegerim, quam ne oderint tam segniter pereuntes. Ira illa Numinum in res Romanas fuit quam non, ut in cladibus exercituum aut captivitate urbium semel editam transire licet. Detur hoc inlustrium virorum posteritati, ut, quomodo exequiis a promiscua sepultura separantur, ita, in traditione supremorum, accipiant habeantque propriam memoriam." Furor imperatoris divinitus admissus videbatur, quia punire et castigare volebant Dii irati Romanos. Cadunt quidem ac pereunt saepe plures viri aeque innocentes ac probi in cladibus, hostes eundem civium numerum telis ac sagittis humum prosternunt, sed digni sunt viri, furore Principum et pravitate delatorum pessumdati, qui etiam singuli recenseantur, ut posteri solatii quasi quoddam genus ex hac narratione hauriant.[1])

Deos sceleratis et iis, qui religionem non servant, sed sacros ritus contemnunt, vetita faciunt, irasci atque hanc iram variis calamitatibus, ex. c. morbis subito immissis manifestare, docent verba Annal. XIV, 22 „Iisdem diebus (quum Plautum quendam rumore ad imperium destinatum, in Asiam relegasset Nero)" nimia luxus cupido infamiam et periculum Neroni tulit, quia fontem aquae Marciae ad urbem adductae nando incesserat: videbaturque potus sacros et caerimo-

1) Quis est, qui similitudinem illorum temporum cum eo aevo, quo apud Franco-Gallos eadem, quin si fieri potuisset, majora et plura scelera publice patrabantur, non meminerit? Aeque fatigat narratio et recensio eorum, quorum sanguis plateas Parisiorum infecit atque foedavit; nihilo tamen secius historiarum illius temporis scriptores singulos calamitati publicae et furori eorum, qui ad reip. gubernacula sedebant, succumbentes recensuere, posterorum potissimum causa. Etiam iis temporibus irasci videbatur Deus!

niam loci corpore loto[2]) polluisse secutaque anceps valetudo iram Deum affirmavit." Non rumorem plebis, vel imperitorum hominum hic refert Tacitus, neque quidquam dubitat de caussa hujus morbi, quem frigus aquae fortasse effecit, sed sibi persuasum esse palam dicit, a Diis, quod fontem transnatasset et polluisset, morbum Neroni esse immissum.

Sunt autem loci, in quibus iram Deorum commemorat quidem, se vero eandem sententiam habuisse et rem, de qua est sermo, iratis Diis attribuisse aut aperte negat aut dubium relinquit, utrum eorum opinioni adsentiatur. Palam se excipit Histor. IV, 26, (Sermo est de inopia frumenti, qua laborabant Romani milites, in Germania stipendia facientes). „Apud imperitos prodigii loco accipiebatur ipsa aquarum penuria, tanquam nos amnes quoque et vetera imperii munimenta desererent; quod in pace fors seu natura, tunc fatum et ira Dei vocabatur." Si pax fuisset, nemini in mentem venisset, illam Rheni insolitam deminutionem irae divinae adscribere; caussa erat naturalis siccitas coeli, quae rara quidem in illis regionibus, neque vero prorsus insolita effecit, ut fluvius vix naves pateretur.

Etiam Annal. XIII, 17 non a parte vulgi stare videtur. Sermo ibi est de sepultura Britannici, jussu Neronis veneno interfecti, quod tam cito vitam ejus abstulit, ut (cap. 16.) „vox pariter et spiritus raperentur." Eadem nocte in campo Martis sepultus est, „adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram Deum portendi crediderit adversus facinus, cui plerique etiam hominum ignoscebant, antiquas fratrum discordias et insociabile regnum aestimantes." Vulgus igitur hos imbres signum irae coelestis esse putabat; si ipse eandem opinionem habuisset, vix vulgi mentionem fecisset; simul additam legimus caussam hujus irae Deorum, scelus patratum; caedes fratris reddiderat Deos iratos. Neque dissimilis est locus Hist. IV, 54. De bello ibi loquitur Tacitus, quod jam dudum in Gallia et Germania gerebatur et quod tantum aberat, ut Vitellii morte nunciata tolleretur, ut duplica-

2) Praefero lectionem „loto" pro „toto" ex emendatione Lipsii. Adnotasse juvat, fontes et capita aquarum veteribus sacra fuisse, in quibus et natare et navigare nefas.

retur; varii sparguntur rumores maximam partem fictitii, qui Gallorum animos ad confirmandum bellum incitabant: Sed nihil aeque, inquit Tacitus, quam incendium Capitolii[1]) ut finem imperio adesse crederent, inpulerat. „Captam olim a Gallis urbem: sed integra Jovis sede, mansisse imperium. Fatali nunc igne signum coelestis irae datum, et possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi superstitione vana Druidae canebant.“ Miraberis fortasse, Tacitum non a parte eorum stare, qui Capitolii incendium pro malo omine habuerint; nam et ex luctu, quem jam antea de hoc facinore senserat et palam elocutus erat, et ex consuetudine, maximas calamitates, ad quas hoc incendium, a civium manibus media in pace factum, referebat, quum privatas tum publicas irae Deorum adscribendi, conjici licebat, Tacitum dicturum esse, quamquam non finem imperii, prope instantem, iram tamen Deorum hoc Capitolii incendio portendi. Equidem enim omnibus his caussis et alio loco, ubi ipse de „urgentibus imperii fatis“ loquitur, adductus exspectaveram, eum huic Druidarum oraculo adsensurum esse. Sed negare videtur hoc infortunium esse iratorum Deorum documentum; superstitionem fuisse eamque vanam Druidarum, qui tale quid divinabant; sive quod omnem peregrinarum gentium cultum divinum superstitionem appellat,[2]) sive quod ex eventu concludit, vanam atque irritam fuisse Druidarum praedictionem; nam non evenit, quod prae-

1) Cujus incendium Hist. I, 2, inter maximas, quas urbs Roma unquam perpessa est, calamitates refert et quod Hist. III, 71—73 moerens decribit; facinus appellat c. 72 „post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque.“ Ne hostes quidem id attigerant, nedum vastati fuissent. Dolor intimus ex quovis verbo elucet. Lubentissime subscribo verbis viri doctissimi, qui librum Hofmeisteri a me jam saepe laudatum recensuit et acerbe castigavit „Hallische allgem. Literaturzeitung 1832, April. N. 72 et 73 p. 569—581. „Wahrscheinlich hat Niemand in der Nähe solchen Schmerz über das Unglück und den bösen Zeitlauf empfunden und in solchen Zügen verewigt als Tacitus“ — quae verba non tantum hoc loco, sed omnibus Taciti operibus vera esse probantur. „Quis talia fando temperet a lacrimis?“ Virg. Aen. II. 6.

2) Sunt etiam loci, in quibus non tantum barbari sed etiam ipsi Romani superstitioni dediti dicuntur, ex. gr. Annal. I. 28. „Noctem minacem et in scelus erupturam fors lenivit: nam luna claro repente coelo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen praesentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris adsimulans, prosperèque

sagiverant.[1]) Minoris momenti meum quidem in finem verba judico, quae Hist. IV 84: „Cunctantem varia pernicies morbique et manifesta coelestium ira graviorque in dies fatigabat;" — quam quae in Annal. XV. 36 leguntur. Consilium in Achajam proficiscendi incertis ex caussis omiserat Nero; in Orientem autem, praecipue in Aegyptum profecturus adiit Capitolium: „Illic veneratus Deos, quum Vestae quoque templum inisset, repente cunctos per artus tremens, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus, deseruit inceptum, cunctas sibi curas amore patriae leviores dictitans." Quae verba multis nominibus sunt digna, quae notentur. Primum enim ostendunt, Tacitum numini tantam vim in homines adscribere, ut eos exterreat et timore impleat, si quidem sunt mali; ergo malos homines, vitiis deditos, praeceptorum divinorum contemptores castigant Dii vel certe Vesta Neronem exterruit; pendet hilaritas animi, gaudium, tranquillitas ex bene factis; haec omnia ex his verbis erui possunt; deinde manifestant Taciti scribendi consuetudinem, ad intimos pectoris recessus confugiendi, res externas ex internis radicibus deri-

---

cessura, quae pergerent, si fulgor et claritudo deae redderetur. Igitur aeris sono, tubarum cornuumque concentu strepere: prout splendidior obscuriorve, laetari aut moerere et postquam ortae nubes offecere visui creditumque conditam tenebris, ut sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes, ubi „aeternum laborem portendi, sua facinora aversari Deos"" lamentantur." Postrema verba idem demonstrant, quod verba in textu posita; vinculum esse inter Deorum favorem et virtutem, sicut inter Deorum iram et vitia. Optimus quisque a Diis amatur et fovetur maxime; pessimus quisque odio et ira Deorum dignissimus est; facinora pellunt quasi Deos atque avertunt. Licet haec verba superstitionem appellet auctor, improbare tamen ea neutiquam videtur, sed tantum fontem, unde sint derivata; nam lunae defectus non est signum coelestis irae. Huc pertinent etiam verba, quae deinceps cap. XXX. leguntur, ubi de eadem re sermo est: „Durabat et formido coelestis irae, nec frustra adversus impios hebescere sidera, ruere tempestates: non aliud malorum levamentum, quam si linquerent castra infausta temerataque, et soluti piaculo, suis quisque hibernis redderentur." Ne vestigium quidem in his verbis inest vituperii, quod milites lunae defectum pro signo coelestis irae habuerunt.

1) Cfr. Annal. XV, c. 23: „Quae (vota) fluxa fuere, quartum intra mensem defuncta infant." Quae verba posteriorem interpretationem ut solam veram habeamus nobis suadent.

[illegible] Duplici modo istum tremorem, quo Neronem affectum esse [illegible]plicat, sive fuit Deo ejus auctor, sive male factorum conscientia, quae [illegible] ut nunquam timore liberaretur. Caeterum annotare haud pigebit, neminem veterum scriptorum tam saepe et graviter de interno judice, nunquam silente, sed facinus quodque, vix quum patraveris, improbante et vituperante, de conscientiae vi verba fecisse, quam Tacitum.

Postremo, (nam in eo sum, ut disquisitioni de ira Deorum finem imponam) unum locum commemorare animus mihi est, ubi Vocula milites, audita Vitellii morte rebellionem molientes alloquitur, Histor. IV. 58: „Quis deinde sceleris exitus? cum Romanae legiones contra direxerint: transfugae e transfugis, et proditores e proditoribus, inter vetus et recens sacramentum invisi Deis errabitis? Te Jupiter O. M., quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, te, Quirine, Romanae parens urbis, precor venerorque, ut, si nobis non fuit cordi, me Duce haec castra incorrupta et intemerata servari, at certe pollui foedarique a Tutore et Classico ne sinatis. Militibus Romanis aut innocentiam detis, aut maturam et sine noxa poenitentiam.“ Qui sacramentum violant, leges, quibus sunt obstricti, migrant, fidem laedunt, scelera denique patrant, invisi sunt Diis, justos tantum et sacramentum inviolabile servantes amantibus.

Ex omnibus his locis (neque plures in Tacito de ira Deorum agentes me legisse memini) apparet, vitia, illo tempore frequenter patrata, effecisse, ut saepius de iratis quam de benevolis Diis loqueretur. Restat, ut ad alteram totius disputationis partem accedam, in qua locos, qui de regimine Deorum agunt, recenseam, quamquam omnes ii, quos adhuc congessi, benevolentiam et iram Deorum testantes, quodammodo etiam regimen divinum probant (nam dii, rerum humanarum prorsus incuriosi, neque benevoli neque irati appellari possunt); sunt tamen multi loci neutiquam contemnendi, in quibus rationem regiminis divini fusius explicet et vim, quam Dii in homines exercent, aut affirmare aut negare videatur; sed quum cavendum sit, ne angustos hujus scriptionis fines excedam, altera dissertationis pars retinenda est, donec aliam scribendi opportunitatem nactus fuero.